



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Distinctio vigesimasecunda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

6 AD Primum arg. dicendum q̄ illud peccatum est grauius secundum se, quod per se & directe maius bonū, vel plura bona adimit, non autē si hoc fiat per accidens, quia ab eo quod est per accidens non debet sumi iudiciū. Nunc est ita, q̄ per peccatum primorū parentum non est maius bonum ademptum per se, sed per accidens solum: per se autē non adimit peccatum nisi suū oppositū, & ea quæ ex necessitate supponunt ipsū, sicut infidelitas adimit fidem primō & per se, omnia verō quæ supponunt fidem, adimit quidem per se, sed non primō. Similiter peccatum primorum parentum siue fuerit peccatum superbia, siue gula, non adimit per se nisi suū oppositū, scilicet humilitatem vel temperantiam, vel ea quæ ista ex necessitate supponunt, quōd autem adempta est à tota natura iustitia originalis, hoc adimit Deus à nobis ex demerito peccati, & est pœna inflicta pro peccato, non autem peccatum ipsū ademit hoc formaliter, de qua ademptiōe loquitur Augustinus.

7 Ad secundum dicendū quōd pœna damni nō proportionatur quantitati culpæ, quia pro modica culpa potest quis reddere ingratum alteri, & indignum bono collato vel conferendo. Sed proportionatur ei pœna sensus. Peccatum autē primorum parentum punitum est maxima pœna damni, inquantum per illud reddidit se & totam posteritatem indignam dono originalis iustitiæ, sed non est punitum maxima pœna sensus.

#### QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum homo in statu innocentie potuerit peccare venialiter.

*Tho. 1. q. 90. ar. 3.*

**D**E INDE quæritur, vtrum homo in statu innocentie potuerit peccare venialiter. Et videtur quōd sic, quia peccatum mortale magis opponitur integritati primi status, quā peccatū veniale: sed tunc potuit peccare mortaliter, ergo multo fortius venialiter.

2 Item in Eva videtur fuisse aliquis motus infidelitatis in hoc quōd de verbis domini dubitauit, vt patet per hoc quod dicit, ne forte moriamur, vt habetur Gen. 3. Sed motus infidelitatis est peccatum veniale, ergo &c.

3 IN Contrarium est, quia peccatū veniale est velut quædam ægritudo animæ, quæ admodum peccatum mortale est eius mors, sed tunc non fuit in corpore possibilitas ad ægritudinem, nisi præcedente possibilitate ad mortem, ergo similiter in anima nō fuit possibilitas ad peccatū veniale, nisi præcedente possibilitate ad peccatum mortale, vt autē se habet potentia ad potentiam, sic actus ad actum, igitur &c.

4 **R**ESPONSIO. Quæstio ista potest habere duplicem intellectum. Vnum vtrum durante statu innocentie potuerit peccare venialiter. Et cōstat sub hoc sensu q̄ non, quia ille nō est innocens qui est reus pœnæ, præcipue quando est reus ex actu proprio, sed peccans venialiter reus est pœnæ, nō solū damni, sed etiam sensus & ex actu proprio: ergo non est innocens. Alio modo potest intelligi, vtrum primū peccatū hominis per quod caderet à statu innocentie, potuerit esse veniale, vel necessario fuerit mortale, & posset videri alicui q̄ nō potuit esse veniale, quia veniale nō mutat statū hominis, nec iterū potest esse cū statu innocentie, vt statim visum est, ergo nullo modo peccatū primi hominis potuit esse veniale. Sed istud non valet, quia licet veniale nō mutet statū gratiæ, quia simul stat cū gratia, mutat tamen statū innocentie, cū quo stare nō potest, imō videtur implicare contradictionem, q̄ in compossibile vnum non mutet alterum.

5 Et ideo dicendum est aliter, q̄ primum peccatū hominis nō potuit esse veniale. Quod patet, quia peccatum veniale cōtingit in nobis dupliciter. Vno modo propter imperfectionē actus, subiti motus in genere peccatorum mortalium, vel propter inordinationē existentem circa ea quæ sunt ad finem: vtrunq̄ autem horum contingit propter quendam defectū ordinis ex eo quo inferius nō cōtinetur firmiter sub suo superiori. Quōd autem in nobis insurgat subitus motus sensualitatis ex hoc contingit q̄ sensualitas nō est omnino subdita rationi, q̄ etiam insurgat subitus motus in ratione ipsa, sicut est motus infidelitatis, cōtingit ex hoc q̄ actus rationis non plene subdi-

tur deliberationi quæ ex altiori principio est, puta ex lege Dei, vt cum aliquis subito apprehēdit resurrectionem mortuorum vt impossibile, nō deliberas q̄ hoc est nobis traditū secundum legē Dei. Quod verō animus hūmanus inordinetur circa ea quæ sunt ad finem seruari debito ordine ad finem prouenit ex hoc q̄ ea quæ sunt ad finem, non ordinantur infallibiliter sub fine. In statu autem innocentie fuit infallibilis firmitas ordinis, vt semper inferius contineretur sub superiori, quādiu summum hominis contineretur sub Deo, vt etiā Aug. dicit. 14. cap. 26. de Ciui. dei. Et ideo nulla inordinatio potuit esse in homine, nisi inciperet ab hoc q̄ summū hominis non subdere tur deo, quod fit per peccatū mortale. Ex quo patet q̄ primum peccatū hominis nullo modo potuit esse veniale.

6 Ad primum argumentum dicendum, q̄ peccatum mortale plus opponitur integritati primi status, q̄ veniale. Opponitur enim illi subiectioni quā homo secundum suum summum habebat ad Deum, ex qua tota ordinatio hominis dependebat, & qua existente nulla inordinatio contingere poterat. Et ideo impossibile fuit inordinatio nem peccati venialis contingere, nisi sublatā subiectione prædicta pro peccatum mortale.

7 Ad secundum dicendū quōd dubitatio illa quæ fuit in muliere siue fuerit peccatum veniale, siue mortale, nō fuit primum eius peccatum, sed quodam elatio quæ præcessit in eius mente, quæ fuit peccatum mortale, vt patet bit sequente distinctione.

Sententia huius distinctionis. X X I I. in generali & speciali.

**H**ic videtur inuestigandum esse diligenter. Superius ostendit Magister tentationis principium extrinsecum. Hic determinat de principio intrinseco. Et diuiditur in duas. Primo determinat genus primi peccati. Secundo inquit eius radicem. Secunda ibi, Solet autem quæri. Prima in duas. Primo determinat intentionem. Secundo opponit contra determinatā, & soluit. Secunda ibi, His autem opponi solet. Prima diuiditur in tres. Primo ostendit genus peccati primo opponendo in contrarium & determinando. Secundo ostendit quomodo diuersimode fuit elatio in viro & muliere. Terio ex hoc concludit vter eorum plus peccauit. Secunda ibi, Et talis elatio. Tertia ibi, Ex quo manifeste aduertit potest. Et ista diuiditur in duas. Primo ostendit vter prior peccauit, sic licet vir an mulier. Secundo opponit in cōtrarium & determinat. Secunda ibi, Sed huic videtur contrarium. Vltima pars in qua inquit radicem peccati, diuiditur in duas secundū duas quæstiones quas mouet. Secunda ibi, Si verō quæritur. Hæc est sententia lectionis in generali.

2 IN Speciali sic procedit, & proponit primo q̄ hæc fuit radix & origo illius peccati primorum parentum q̄ scilicet in hominis animo processit secundum quosdam elatio ex qua diaboli suggestioni consentit hoc ordine, quia prius in muliere q̄ in viro, obiicit autem cōtra, quia tunc sequeretur q̄ homo nō alterius suggestione peccauit, sed per propriam superbiam reciderit sicut angelus quod est contra superius dicta. Et respondet quōd intelligendum est elationem præcessisse, non quidem tentationem sed opus peccati. Et ideo homo suggestione peccauit, fuit autem hic ordo & processus quod præcessit diaboli tentatio ex qua post sequuta est in mente elatio, quæ sequuta est peccatum in operis. Vltimo pœna peccati. Postea dicit q̄ talis elatio fuit in muliere quia credidit & voluit habere similitudinē cum æqualitate quadam putans esse verum quod diabolus suadebat. Sed vir non fuit eodem modo seductus quo mulier quia nō putauit verum esse quōd diabolus suggerebat. Aliqua tamen elatio post tentationem in mente viri fuit, quod per autoritates confirmat. Postea dicit concludendo quōd mulier plus peccauit quā vir, quia verū esse quod dixerat diabolus credidit, cum nimia præsumptione. Adam verō illud nō credidit, & de penitentia & dei misericordia cogitauit, magis autem fuit deceptus vir q̄ mulier quantum ad hoc solum, quia putauit peccatum commissum esse veniale quod fuit mortale. Item in hoc minus peccauit vir quā mulier.

mulier quia mulier in se, in proximum & in deum, vir autem in se & in deum tantum. Postea obiicit per auctoritatem Aug. qui ait parem esse virtusque falsum sicut patet in executione, ergo & pariter peccauerunt. Et respondet quod par fuit virtusque falsus in excusatione peccati, & in esu ligni vetitii. Sed dicendum est in muliere esse maiorem in eo quod creditur & voluit esse sicut Deus quod non vir, obiicit autem per auctoritatem Aug. vltimus quia etiam homo voluit esse sicut Deus. Et respondet quod quibusdam videtur quod Adam aliquo modo ambiebat esse sicut Deus, non creditur tamen istud posse fieri cognoscens falsum esse quod diabolus promittebat, nec tanta ambitione exarsit sicut mulier exarsit. Aliis vero videtur quod sic dicitur illud Adam voluisse quia illud voluit mulier que de ipso sumpta fuit, ex quoque omnibus concludit quod minus peccauerat vir quam mulier. Postea obiicit contra dicta quia secundum Iud. peccatum quandoque fit ex ignorantia, quandoque ex industria, etiam Eua videbatur ex ignorantia peccasse, Adam autem ex industria, ergo vir magis peccauit quam mulier. Et respondet quod mulier in hoc peccauit per ignorantiam quia verum esse putauit quod diabolus suadebat, non tamen in hoc quod non nouit illud esse mandatum dei, & ideo excusari a peccato per ignorantiam non potuit, quia omnis excusatio tollitur ubi mandatum non ignoratur, & peccatum est fecus agere ubi etiam distinguit de ignorantia quoniam est quedam que excusat, & est quedam ignorantia vincibilis, quedam non vincibilis. Est enim triplex ignorantia. Vna eorum qui scire nolunt & tamen possunt, haec autem non excusat a peccato, sed ipsa est peccatum. Alia eorum qui volunt scire sed non possunt & haec excusat, quia non est peccatum sed pena peccati. Tertia est illorum qui simpliciter nesciunt neque renuentes neque proponentes scire, & haec aliquo modo (sed non plene) excusat, quod auctoritate Aug. confirmat. Postea quaerit cum natura hominis esset sine vitio, unde processit consensus mali. Et respondet quod ex libe. arb. voluntatis quod homo fieret deterior fuit in diabolo qui suavit, & in homine qui consentit, & quantum libe. arbit. sit bonum ex eo tamen malus consensus emanauit. Vltimo quaeritur, vtrum voluntas illud peccatum praecessit. Respondet quod cum peccatum in voluntate, & in actu consistat, voluntas actum praecessit, sed ipsam malam voluntatem alia mala voluntas hominis non praecessit, & quod illa mala voluntas ex diaboli persuasione, & libero hominis arbitrio prodiit, & in hoc terminatur, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum primum peccatum primi hominis fuerit superbia.

Thom. 1. q. 163. ar. 1.

Circa distinctionem istam primo quaeritur, vtrum primum peccatum primi hominis fuerit superbia. Et videtur quod non, quia primum vitium hominis opponitur primae virtuti. Sed prima virtus est fides que est fundamentum spiritualis edificii, ergo primum peccatum fuit infidelitatis.

2 Item Ro. 5. dicitur quod per vniuersum hominem inobedientiam peccatum intravit in mundum, ergo primum peccatum hominis fuit inobedientia.

3 IN CONTRARIUM est quod dicitur Eccl. 10. initium omnis peccati superbia. sed peccatum primorum parentum fuit peccatum inuitii generi humano, ergo &c.

4 RESPONSIIO. Dicenda sunt duo. Primum est, quod in actu primorum parentum fuerunt realiter multa peccata. Primum tamen eorum fuit superbia. Primum patet, quia ubi cumque sunt plures deformitates, quarum vna non est per se determinatiua alterius, ibi sunt plura peccata, sed ita fuit in actu primorum parentum, ergo &c. Maior patet, quia licet bonum sit ex tota causa, malum tamen est ex partialibus defectibus. & ideo quot sunt defectus voluntarii, tot sunt peccata. nisi vnus sit alterius per se determinatiuus, vt si aliquis cognoscit non suam in loco sacro, ibi sunt duae deformitates & duo peccata: quia est ibi peccatum fornicationis, & violatio sacri loci, ex eo quod illarum duarum deformitatum vna non determinat alteram, vnde vna potest separari ab altera, & conuerso. Minor similiter patet, quia in peccato primorum parentum fuit duplex deformitas, scilicet appetitus propriae excellentiae, in hoc quod dicit serpens, eritis sicut deus. Et ino-

bedientia praecipue disciplina, & transgressio in esu fructus ligni vetitii, & harum vna non est per se determinatiua alterius, vt de se patet, ergo &c.

5 Secundum patet, quia appetitus finis praecedit appetitum eorum que sunt propter finem, sed appetitus proprius excellentiae qui pertinet ad superbiam fuit finis propter quem incurserunt inobedientiam in esu ligni sicut haberi potest ex verbo tentationis cui consenserunt: scit enim Deus quod quocumque die ex eo comederitis, eritis sicut deus, ergo &c. Et istud est satis verisimile, vt sicut diabolus ceciderat per superbiam, sic tentaret principaliter hominem de superbia.

6 Ad primum argumentum dicendum quod illud quod est in compositione primum, est vltimum in resolutione. Et ideo debet sic argui, quod sicut fides est prima virtus, sic infidelitas est vltimum vitium: neque tamen hoc valeretur, quia non est connexio vel ordo in virtutibus, sicut est in virtutibus (vt alius dicitur, scilicet in 3. libro.) Et si esset ordo, non esset ordo temporis, de quo nunc loquimur, quaerendo quale fuerit primum peccatum hominis.

d. 16. q. 2. ar. 1.

7 Ad secundum dicendum quod inobedientia vt nominat speciale peccatum est contemptus praecipue, & sic non intravit peccatum in mundum per inobedientiam vnius hominis. Alio modo nominat conditionem generalem consequentem omnia peccata mortalia, inquam omne peccatum mortale habet annexam transgressionem praecipue. Et sic loquitur Apostolus.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum primus homo appetierit esse vt deus.

Thom. 1. q. 163. ar. 2.

DEinde quaeritur circa eandem distinctionem, vtrum primus homo appetierit esse vt deus. Dicendum primum quod sic. Secundo videndum est in quo appetierit esse vt deus.

1 Primum patet, quia primi parentes illud appetierunt quod a tentatore fuit eis propositum, alias non peccassent ex alterius suggestione, sed illud fuit, Eritis sicut deus, Gen. 3. ergo &c. Item de hoc irriti sunt ibidem, Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, ergo in hoc peccauerunt.

2 Circa secundum notandum quod esse vt deus potest accipi dupliciter. Vno modo per aequalitatem, alio modo per quandam imitationem. Primum non cadit sub appetitu, nisi praecedente nimio errore. cum enim nulla creatura possit appetere non esse, gradus autem superior includat impossibilitatem gradus inferioris, nedum in Deo respectu creaturarum, sed in creatura vna respectu alterius, patet non solum esse impossibile intellectui non erant appetere aequalitatem dei, sed etiam creaturae inferiori appetere aequalitatem creature superioris, saltem in essentialibus, respectu autem Dei nulla aequalitas potest appeti nisi in essentialibus, cum omnia abstracta in eo transeant in essentiam. vnde Aug. super Gen. Non arbitror vtrum si iam spirituali mente praeditus erat voluisse esse sicut deus. Alia est similitudo imitationis, quae est duplex. Quaedam proportionata naturae ipsius appetentis, & hanc appetere non est malum, si appetatur eo modo & ordine quo appetenda est. Alia improporionata, quae excellit ordinem & modum naturae appetentis, & hanc appetere semper est malum, potuit ergo primus homo appetere esse vt deus per aliquam imitationem forre in scientia, vt fuerat a tentatore propositum, cuius sicut deus scientes bonum & malum. Et peccauit vel appetendo similitudinem sibi improporionatam vel proporionatam, sed absque debito modo & ordine.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum ignorantia sit peccatum.

Thom. 1. 2. q. 76. ar. 2.

POSTea quaeritur vtrum ignorantia sit peccatum. Et videtur quod sic, quia quando actus non est malus, voluntas de illo non est mala: sed voluntas ignorandi ea que homo tenetur scire mala est, ergo & ipsa ignorantia est mala, sed non poena, ergo est culpa.

2 Item 1. Cor. 14. Si quis ignorat ignorabitur, id est, reprobabitur secundum glo. Sed nullus reprobabitur nisi propter peccatum, ergo &c.

3 IN CONTRARIUM est, quia peccatum dicitur etiam opponitur gratiae quae scientiae, sed priuatio gratiae non est culpa, sed poena consequens peccatum, ergo ignorantia quae est priuatio scientiae non est peccatum. Responsio.

Ignorantia eorum quae quis non tenetur scire, vel non potest nullo modo est peccatum, de ignorantia vero eorum quae aliquis tenetur scire & potest. Dicendum quod nunquam est peccatum secundum se, sed ratione adiuncti quod est negligentia ad discendum, vel voluntas non ad discendum. Quod patet dupliciter. Primo considerando peccatum secundum se ipsum. In hoc enim differunt malum & peccatum: quia priuatio cuiuscumque perfectionis debita est malum, sed peccatum dicitur solam priuationem secundae perfectionis, quae est operatio vel debita rectitudinis in operatione, ut plenius patebit inferius, sed ignorantia secundum se dicitur priuationem scientiae, & non priuationem operis, vel perfectionis in operatione, nisi concomitatur, in quantum ignorantia concomitatur negligentiam ad discendum, vel voluntatem non ad discendum, ergo &c. Secundo patet idem comparando culpam ad meritum, quia circa idem sunt. Sed constat quod meritum per se consistit in actu & non in habitu, ergo & culpa seu peccatum. Ignorantia autem dicitur priuationem habitus & non actus, nisi concomitatur, ergo &c.

4 Hec & illa ratio est bona quae communiter ponitur, quod si ignorantia esset peccatum, tamen peccaret homo, quoadiu ignoraret, consequens est falsum, ergo & antecedens. Neque valet solutio quae datur, scilicet quod ignorantia sicut & alia peccata omissionis solum est peccatum pro illo tempore pro quo praecipit affirmatiuum cui opponitur obligat, praecipit autem affirmatiuum non obligat ad semper, sed pro loco & tempore quo occurrit materia praecipit facienda, propter quod ignorans non semper actu peccat, sed pro tempore quo quis per praecipit obligatur ad aliquid faciendum, quod per ignorantiam dimittitur.

5 Sed istud non valet, quia licet praecipit affirmatiuum non obligat ad semper, ita ut semper actu impleatur, vel actu de eo cogitetur, obligat tamen ad semper secundum habitum, ita scilicet ut homo semper sit ita dispositus, quod semper sit paratus implere praecipit quotiens occurrit faciendum. Haec autem dispositio tollitur per ignorantiam eorum quae quis tenetur scire. Et ideo si ignorantia secundum se esset culpa, quando quis ignoraret, tamen peccaret. Non sic autem si ponatur culpa, non quidem secundum se, sed ratione adiuncti, scilicet negligentiae ad discendum, tunc enim non semper est peccatum, sed solum quando est tempus acquirendi scientiam quam habere tenetur.

6 Ad primum argumentum dicendum quod non solum voluntas est culpabilis qua volumus malum culpae, sed etiam qua volumus aliquid quo proni sumus ad culpam, & cuius oppositum retraheret a culpa, & sic est cum quis vult ignorare ea quae tenetur scire.

7 Ad secundum dicendum quod illud intelligitur de ignorantia non ratione adiuncti, scilicet negligentiae ad discendum, & eodem modo exponenda sunt similes auctoritates Canonis, seu sanctorum si quae tales inueniantur.

#### QUESTIO QUARTA.

Verum ignorantia excuset peccatum.

Thom. 1. q. 76. ar. 3.

Verum ignorantia excuset peccatum. Et videtur quod non: quia qui per ebrietatem homicidium committit, peccat per ignorantiam, sed talis non excusatur, nec a toto, nec a tanto, imo meretur duplices increpationes secundum Philosophum 3. Ethic. ergo &c.

2 Item super illud ad Rom. 2. Ignoras quomodo benignitas, &c. dicitur glo. Ambr. Grauisime peccas quia ignoras, sed quod aggravat peccatum non excusat, ergo &c.

3 IN CONTRARIUM est quod Apostolus dicit. 1. Tim. 1. Misericordiam consecutus sum, quia ignoranter feci: sed nihil prouocat ad misericordiam, nisi peccatum excuset, vel alleuet, ergo &c.

4 RESPONSIO. Ignorantia potest se habere ad actum dupliciter, causaliter, vel concomitatur. Causaliter quando si non ignoraret non faceret, concomitatur vero quando quis ignoras facit & nihilominus faceret si non ignoraret. Et est differentia inter hos duos modos, quia primus dicitur agere ignorans & per ignorantiam, vnde &

abscedente ignorantia est poenitens. Secundus vero dicitur ignorans agere, sed non per ignorantiam, nec ignorantia abscedente poenitet. Et hoc patet clare ex 3. Ethic.

5 De ignorantia igitur concomitatur cum per accidens se habeat ad actum. Dicendum quod non excusat peccatum, nec alleuat, neque tamen aggravat. Cuius ratio est, quia omnis circumstantia excusans, alleuians vel aggravans est conditio operis ipsum informans, & non est solum conditio operantis actum concomitans, sicut actus fidei informis est bonus, quia informitas fidei non est conditio fidei informans, sed concomitans ratione credentis qui caret gratia, vnde ex infirmitate non sortitur actus fidei aliqua rationem mali. Et simile est de similibus circumstantiis quantum ad rationem boni vel mali excusando, alleuiando vel aggravando. Sed ignorantia quae solum concomitatur, se habet ad actum, non est conditio operis ipsum informans, sed est solum conditio operantis, actum concomitans, ergo &c.

6 Ignorantia autem causalis, aut est eorum quae non tenemur, aut non possumus scire quae dicitur inuincibilis, aut est eorum quae possumus scire, & tenemur, quae dicitur vincibilis. Prima omnino excusat si fit inuincibilis secundum se & secundum causam suam, quod dico propter ebrietatem ex ebrietate peccantem cuius ignorantia inuincibilis est secundum se, quia tunc non potest iudicare quid agendum sit vel non agendum, tamen non est inuincibilis secundum causam suam, quia potuit se non inebriare, & ita non ignorare & ideo omnino non est excusatus.

7 Ignorantia autem vincibilis, aut est in vniuersali & dicitur ignorantia iuris, aut in particulari quae vocatur ignorantia facti. Prima autem est directe affectata vt homo liberius peccet & haec non excusat sed aggravat, aut non est directe affectata, sed prouenit ex quadam negligentia, & haec licet non excuset ex toto sequens peccatum alleuiat tamen. Ignorantia autem particularis seu facti aut est adhibita debita diligentia & dando operam rei licite, & haec omnino excusat sicut tui de Iacob cognoscendo Lyam quam credebat esse Rachel in qua cōfenserat, aut est non adhibita debita diligentia vel dando operam rei illicitae, & haec omnino non excusat, potest tamen plus vel minus alleuiare si non fuerit directe affectata.

8 Horum autem omnium talis est ratio. Sicut se habet ignorantia ad causandum vel non causandum voluntarium ad augendum vel minuendum, sic se habet ad excusandum peccatum vel non excusandum, ad aggravandum vel alleuiandum. (Cuius ratio est quia eo ipso aliquod imputatur ad meritum vel ad culpam, quia est voluntarium, & quantum est voluntarium tantum imputandum) sed ignorantia se habet ad causandum voluntarium vel inuoluntarium ad agendum ipsum vel diminuendum modo quo dictum est, vt patet deducendo per membra supradictae diuisionis, ergo &c. Quod autem dictum est quod ignorantia causalis quando excusat, alleuiat vel aggravat, intelligendum est quando ignoratur illud, quod in actu ponit rationem peccati, non autem de ignorantia aliorum.

9 Argumenta procedunt suis viis. Quod enim primo dicitur quod ebrius meretur duplices increpationes dicendum quod verum est, quia duo peccata committit. scilicet ebrietatem & homicidium, nihil tamen prohibet quod occidendo minus peccet si non fuisset ebrius in quantum est in illo peccato minus de voluntario, non tamen totaliter excusatur, quia ignorantia eius non tollit totaliter voluntarium quia ipsa voluntaria fuit.

10 Ad secundum dicendum quod Ambr. loquitur de grauitate periculi non peccati, quia qui nescit morbum non querit remedium, nihil tamen prohibet sequens peccatum esse minus ratione praecedentis ignorantiae licet sit periculosus ignorantia durante.

Sententia huius distinctionis. XXIII. in generali & speciali.

Præterea quarti solet. Superius determinauit Magister de peccato primi hominis quantum ad tentationem & quantum ad radicem. Hic determinat de peccato isto quantum ad Deum permittentem. Et diuiditur in duas. Primo determinat quare homine deus retari permittit. Secundo vt magis appareat iustitia permittentis dicit qualiter Deus

Inf. d. 4.  
q. 2. m. 11.